

R. P. D.

MOLINO

Gnesnen. Spolii super Sequestro.

Veneris 27. Junii 1749.

1 PRæter Dubium principale Causæ Negocium respiciens, & alterum super purgatione Attentatorum, instetit Præpositus Ecclesiæ Sancti Joannis proponi etiam Dubium = *An sit locus appositioni Sequestri* =, cujus resolutio unà cum aliis in Rota *diei 26. Junii transacti anni* cum fuerit dilata hodie prodiit = *Pro Informante* = nimirum *esse apponendum Sequestrum*.

2 Ratio resolutionis proferebatur à violento Spolio contra Ecclesiam pluribus ab hinc annis patrato per Jacobum, & Catharinam Dzialinski violenti manu invasores Vil-

læ

læ Cantryny sub pleno dominio, ac pacifica possessione spectantis ad Ecclesiam Sancti Joannis extra Gnesnam: ut itaque excessus hujusmodi compescantur, & interim invasores propriæ temeritatis longius protracta lite fructum recipiant Bonorum occupatorum sub tuto sequestro interim ponendi sunt, ut ita tutior, ac expedita fiat favore Victoris illorum restitutio; ut in similibus docet *Ridolphin. in prax. part. prima cap. 14. num. 106. Abbas in cap. Dilectus num. 16. de sequestr. possess., & fruct. leg. Imperatores ff. de appellation., Panimoll. decis. 136. à num. 6. tom. 2., Rot. decis. 13. num. 3. par. 2. recent.*

3 Neque in casu obstare poterat regula, Judicia à Sequestro non esse incohanda: Non enim Sequestrum hoc per antecessum absque ulla Causæ cognitione apponi mandatur, sed postquam Sacrum hoc Tribunal violentum Spolium audacter commissum agnovit, & sub geminis Decisionibus definivit. Quodque magis Dominos in hanc Sententiam traxit, illud est, quod agitur de occupatoribus nedum violentis, sed refractariis, & summa pervicacia Ecclesiasticorum Tribunalium jussibus, & decretis parere recusantibus, & longius litem hanc protrahere tentantibus, ut pandunt contemporaneæ *meæ Decisiones super Spolio, & super Attentatis*. Mitius itaque cum ipsis non erat agendum, ne in propria audacia confisi interim injuriæ, & violentiæ fructu perfruantur, cum à tam difficili hujus Judicii prosequutione sæpe intercepta, prudenter timeri debeat Bonorum dilapidatio, & fere desperata fructuum restitutio, ac perdifficilis executio favore Ecclesiæ spoliatæ; sed potius prudenti Judicis arbitrio, ut modo quo potest caveatur, ne Spoliatores fructus colligant, & Victor in Causa privetur, vel longa lite victoriæ fructus ei protrahatur.

4 Magisque animum Judicantium movit ad ita decernendum, decretum ipsum provisionale ante Causæ decisionem prolatum in Curia Archiepiscopali, ubi agnita qualitate Spolii, & Spoliatorum natura, post eorum primum recursum ad Forum Laicale, probè demandatum fuit, ut fructus Bonorum occupatorum sub sequestro ponerentur; Similia autem decreta Judicum de Partibus non raro Sacrum Tribunal sequi non dedignatur.

Et ità &c. unica &c.

Romæ, Typis Rev. Cam. Apost. 1749.)(*Super. lic.*

Druki węgierskie

dotyczące dziejów

rozmych wojewodów polskich

20.000